



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Ejusdem Matris præcipua XV. gaudia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

cenar optare longas, aut adeo ad prandium properare, argumentum est animi ad divina male affecti.

9. Ob debitam in Dei verbum reverentiam nullum è Dominicis ac festis diebus pratermittere, si id ullo modo fieri possit, quin singulari hoc cultu afficiatur, & concio audiat. Morbus aut molestia levior ab audienda concione non excusant. Imitemur matrem Domini, & conservemus omnia verba hæc, conferentes ea in cordibus nostris.

CAPUT VI.

Rosa è saccaro, seu, Gaudium spiritus.

§. I.

Virgo sapientissima amoris castissimi has esse leges non ignoravit, Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Hanc ob causam in aedes Zachariæ lata subit, & lætitiæ plurimum domesticis universis attulit, ipsi adeo infanti maternis viscibus etiamnum abdito: nondum natus jam saltabat; nondum gradi poterat, & jam præcurrere conabatur; nondum loqui sciebat, jamque vociferari moliebatur.

Quid porro celestis gaudii non sensit Virgo beatissima nocte illà, quæ filium suum enixa, Angelorū media, non tam itabulum habitavit, quàm cælum? Quantum hoc gaudiorum purissimum saccarum auxit pastorum accursus, adventus regum? Quamdiu verò Christum infantem, Christum jam juvenem, jam virum domi secum habuit, incredibili utique gaudio delibata saccaro victitabat, cujus dulcedo nulli mortaliū antehac explorata. Tristitiæ aliquid fortè fensit, cum æterna sapientia Christus maternâ domo exiens in lucem ac publicum se dedit, noscendus orbi, unâ tamen matris gaudium auxit, cum audiret illa concionantem filium, cum cerneret novam condi Ecclesiâ, beatorum augeri numerum, divinam ampliari gloriam. Hic Virgo sanctissima indubiè suum illud celeste melos, Magnificat anima mea Dominum, centies, sexcenties, milles ingeminare, divinam bonitatem extollere, novis in dies gaudiis affluere, cælum inambulare.

Cantuariensis Antistes & Martyr Thomas, ut integerrimam Virginem velut recentibus gaudiis perfunderet, hos versus conscripsit ævi sui stylo.

1. Gaude Virgo mater Christi, quæ per aurem concepisti Gabriele mario.
2. Gaude, quia Deo plena peperisti sine poenâ cum pudoris lilo.
3. Gaude, quia oblatio; Magorum & devotio, exhibetur filio.
4. Gaude, quia tui Nati, quem videbas mortem pati, fulget Resurrectio.
5. Gaude, Christo ascendente, qui in cælum, te vidente, motu fertur proprio.
6. Gaude, quia Paraclitus demissus fuit calvus in tuo Collegio.
7. Gaude, quæ post Christum scandis, & est honor tibi grandis in cali palatio.

His consideratis jure meritissimo Marti divinæ nomen assignamus EXHILARATRICES. Ea res originem hanc habuit. Anno Christiano millesimo centesimo trigésimo quarto, tres viri è Germaniâ bellicam expeditionem secuti in Palestinam, demum & in Ægyptum delati sunt. Hos Sultanus in vincula dedit: ubi beatissimæ Virginis Mariæ iconem nacti, maximâ in Deum Dei que Matrem fiduciâ fuerunt. E vinculis liberati imaginem secum asportarunt, quæ demum etiam miraculis clara singulari venerationi esse cepit, & ut honestius servaretur, sacellum ei conditum, in quo servata. Mox ingens illuc hominum concursus, hinc datus loco titulus: Ad D. Virginem Exhilaratricem. Verè celestis

A Domina Virgo Maria Exhilaratrix, verè fons gaudiorum, quæ summum & unicum humanæ gentis gaudium in orbem edidit.

Divinus Paulus gaudii radicem monstrans: *Fructus Galat. c. 5. autem spiritus, inquit, est charitas, gaudium, pax, patientia, vers. 22. &c. Ubi Charitas, ibi gaudium. Idcirco Christus. Si diligeretis me, inquit, gauderetis utique. Charitas in virgine maxima, ergo & gaudium. Quippe nî gaudeat immensum, qui gaudia sibi nunquam defutura præciat? Spes certa beatitudinis æternæ, dignissima est constantis causâ gaudii. Eò Servator velut digitum intendens: Gaudete, inquit, & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Virgo beatissima non speravit, sed scivit ex Angeli ore se plenam gratiâ, & ab omni ævo beatitudini destinatam: inde illius gaudium sincerum, perpetuum; tamen oculis profluerent lacrymæ. De diversis gaudiorum causis & fontibus in beatissimâ Matre, hoc loco paucula, quæ summam & compendio sunt addenda. Sed Vallam, pie Lector, cum suis vocalis jubemus multum valere. Pietas hîc magis quàm latinitas spectanda. Verum priusquam gaudii fontes aperiamus, potissimas meroris causas exponemus.*

§. II.

Beatissimæ Virginis Matris Mariæ

Præcipui XV. merores.

1. Josephi cogitata conjugis dimissio. *Matth. c. 1. vers. 19.*
2. Circumcilio Christi infantis, & prima sanguinis effusio. *Luc. cap. 2. vers. 21.*
3. Simeonis vaticinium: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Ibid. v. 34.*
4. Fuga in Ægyptum subito & nocte suscepta. *Matth. c. 2. vers. 14.*
5. Septennium, vel, ut probabilis, quinquennium in Ægypto toleratum, & reditus in Galilæam non sine metu Archelai. *Ibid. v. 13.*
6. Christus duodecennis triduo amissus. *Luc. cap. 2. vers. 42.*
7. Christi ad mortem proficiscientis valedictio, quam vetus Ecclesiæ sensus pie recolit propitius Parascives. Hoc ita factum esse, rationi valde congruum, cum Christus toties Apostolos suæ passionis monuerit. *Matth. c. 20. vers. 17. & 18.*
8. Nuntius de Filio capto. Hic meror principium fuit multigeni meroris, & hoc ipso nomine acerbus gravis. *Luc. cap. 18. vers. 31.*
9. Flagellatio filii acerrima & crudelissima, ab ipsâ matre Virgine visa, ut vult S. Birgitta l. 1. Revelat. c. 10. *Matth. c. 27. vers. 27.* aut certè audita, ut alii.
10. Monstratus ab alto filius, cum dicto: Ecce homo. *Ioan. cap. 19. vers. 5.* Ad hoc spectaculum virgo Mater turbæ immixta, quid fensit, cogitari potest, dici non potest.
11. Iter in montem Golgotham maestissimum, & Luc. cap. 23. Domini Jesu crucem bajulantis verba ad plangentes feminas. *vers. 27.*
12. Crucifixio Domini. Et hîc quidem virgineum pectus multiplex affectu dolor ex aspectu & auditu haustus. Utique omni clavo dirius penetravit illud: Ecce filius tuus. Et tamen stabat Virgo mater afflictissima, audiens, cernens infanda. *Ioan. c. 19. vers. 25. & 26.*
13. Christi mortui è cruce in gremium matris depositio; contemplatio vulnerum, & fletus super mortuum. *Matth. c. 27. vers. 57.*
14. Sepultura Domini Jesu, recessus à sepulchro, lugubres gemitus usque ad auroram nostri Pascharis. *Marci c. 15. vers. 46.*
15. Abitus filii in Ascensione. Hîc verè videtur cor matris fuisse avulsum inter gaudia & lacrymas. *Ioan. cap. 19. vers. 41. & 42. Act. cap. 1. vers. 9.*

Ejusdem matris Virginis

Præcipua XV. Gaudia.

1. Annunciatio Gabrielis Archangeli. *Luc. cap. 1. vers. 26.*
2. Visitatio cognatæ Elisabeth. *Ibid. v. 39.*

T t t 4

3. Nati-

Luc. cap. 2.
v. 7. & 8.
Matth. c. 2.
vers. 1.
Luc. cap. 2.
vers. 22.
Matth. c. 21.
vers. 8.
Luc. cap. 11.
vers. 27.

Eccli. cap. 7.
vers. 29.
Matth. c. 16.
vers. 19.
Luc. cap. 24.
v. 50. & 51.
Act. cap. 2.
vers. 1.
1. Cor. 12. 14.
1. Thim. 4. 45.
Eccli. 49.
cap. 5. v. 12.

Psal. 44.
vers. 10.

Cont. cap. 4.
vers. 2.

Luc. cap. 1.
vers. 48.

Hominum
imprudenter
propter com-
mentis, filii
maritimi &
historis nos
nihil patro-
cinamur.

Non indiget
mater Do-
mini his pi-
gmenis.

Gaudium
spiritus
unde na-
scatur.

Psal. 127.
v. 1.

Abacuc c. 3.
v. 18.

3. Nativitas Christi Domini, accursus pastorum & A narratio.

4. Magorum adventus, & adoratio.

5. Oblatio infantis Christi in templo, Simeonis & Annae benedictio.

6. Inventio filii in templo post lugubre triduum.

7. Fama miraculorum, accursus tot millium ad filii conciones, varia laus concionantis, præcipue vox clamantis femine turbæ: *Beatus ventis, qui te portavit*. Ingredies triumphalis in urbem Hierusalem, exclamatio plebis, subtrahæ vestes & palmæ.

8. Resurrectio Domini Jesu. Indubiè rediivus filius primò omnium matri se spectandum præbuit, convenienter legi suæ: *Honora patrem tuum, & genitus matris tuæ ne obliviscaris*.

9. Ascensio Domini, & gloriosus in cælum reditus.

10. Missio Spiritus sancti, die Pentecostes.

11. Magisterium beatissimæ Virginis inter Apostolos, Discipulos, mulieres Domini benefactrices, homines centum & viginti.

12. Mirabilis dilatio Christianæ fidei; accursus, & veneratio beatissimæ Virginis, quam absque dubio omnes ut Domini matrem jam tum plusquam omnes Apostolos magnificabant. Dominus autem augebat, qui salvi fierent, quoridie in idipsum.

13. Obitus beatissimus divinæ Matris & assumptio in cælum gloriosissima. *Adhuc regna à dextris tuis in vestitu deaurato*.

14. Exaltatio celestis Virginis super omnes Angelorum ordines & coronatio. *Veni de Libano sponsa mea, veni; coronaberis de capite Amant*.

15. Veneratio beatissimæ Virginis Matris in terrâ. Beatam dicunt hanc matrem omnes generationes; omnes eam colunt. Atque hic cultus jam magis ac magis tot libris, tot Congregationibus, tot aris, tot templis, tot modis alius propagatur. Quæ omnia ad Domini Jesu, Regis Christi, Servatoris nostri, Conciliatoris summi, Redemptoris unici, majorem honorem & gloriam spectant. Eximium decus Filii, laus Matris.

Sed jam de nostrâ gaudendi ratione est, quod plusculum disseramus.

§. III.

Gaudium, quod Paulus appellat Gaudium spiritus, inde tandem nascitur: cum quis assiduus precationibus & plurimâ virtutis exercitatione, præsertim patientiâ induratus eo se demum redegit, ut liberè & ex animo pronuntiet: Nihil uspiam in orbe terrarum est, quod me solido gaudio afficiat, nisi Deus, & unita Dei Voluntas. Valeant res creatæ omnes, mihi Deus meus, gaudium meum & omnia est. O utinam cum Deo sim, illòque fruatur delecto vulu! at quamdiu mortales moræ mihi toleranda, ad ostium æternitatis expectandum, solatorum satis est, satis est & gaudiorum spes certa immortalitatis beatissimæ. *Latatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus*.

Sic sperare, sic gaudere sperando, vestibulum cæli, ingressus paradisi est. Hoc nempe fructus, hoc gustus est spiritus, hoc gaudium sincerum. Hæc illa serenitas animi, quæ quamvis calamitatum nubibus obducitur, non tamen admittitur. Hic talis animus inter ipsa mediis incendiis serenus est, & ridere audet, cum stillant oculi.

Ex hoc tali omnino sunt voces illæ: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo*.

Videte mihi feminam pudicam & conjugalis fidei tenacem, quantum illa è liberis, si frugi sint, voluptatis haurit? si filii sint bonæ indolis, felices ingenii, disciplinæ capaces, litterarum avidi ac dociles; si discendo inter coevos emineant, id mater narrat omnibus, nec sine suavi sensu. Sapius ab illâ audias: Meus Narcissus, Hyacinthus meus, meum gaudium, lux mea, deliciæ meæ.

Narrat Valerius apud Corneliam nobilem Romanam matronam è Campaniâ. Hæc de cimeliis & mundo muliebri injectâ mentione, gemmas suas & ornamenta illius ævi pulcherrima ostendit. At Cornelia re prædenter dissimulatâ eam sermone traxit. Quousque è scholâ redirent filii. Hi ubi in conspectum matris venerunt: Et hæc, inquit illa, sunt ornamenta mea, meum gaudium.

Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit, eo quidem certius quam qui cuncta possidet: quia dominum rerum collabi solet, bonæ mentis lætitia nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorum attinet, aut divitias in primâ felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere, cum & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit repleta, & hujus horridior aspectus, solidis ac certis gaudiis abundet?

Sed hic meliorem Corneliâ matrem sisto. Si illis unquam mortalium verè dixerit: *Jesu meus, gaudium meum, verissimè mater divina filii: Ornamenta mea, deliciæ meæ, lux mea, meus filius, meus Jesus, Beatus ille, qui cum Virgine beatissimâ ex animo profatur: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Hanc animi lætitiâ excolissimam habet cacodemon: quod Antonius suis sapissime instillans: *Vna est ergo, æquaratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & anime Domini semper cogitantis jugis recordatio, quæ demonum latus quasi sumum expellit*.

Franciscus Affilius, quæ demum vera esset lætitia, exhortatione mirabili patefecit. Ibat vir sanctus Persico ad sanctam Mariam de Angelis, socium itineris habuit unum de suis, cui Leo nomen. Hiems erat perfrigida, cælum asperum & immitte, hinc gela acerrimè urebantur in viâ. Leo aliquot passibus iter præcipiebat, lequebatur à tergo Franciscus, qui socium subito accersens: Mi frater Leo, inquit, tamen si Frater Minoris sint bono exemplo aliis, & speciem religiosæ vite præbeant, cunctis tamen sedulo nota, atque si liceat pugillaribus etiam inscribere, hoc non esse perfectam lætitiâ. Cùmque aliquantulum via confecisset, iterum Leonem vocans. Mi Frater, inquit, tamen si quis è nostro numero cæcis oculos, linguam mutis, auditum surdis, gressum claudicantem, tamen si sensum animamque in membra frigiditæ reducat, & ea, quæ multi cogitationibus obfuscant volvunt pervideat, tamen si tempestates sedet, furibunda mitiget maria, per gurgites altissimos pedes ferat ilotos, tamen si scribe ac observa sedulo, quia hic non est perfecta lætitia.

Paulo post contentâ voce iterum: O frater Leo, inquit, si quis è nobis omnium populorum linguas callet, omnium artium scientias haberet, si futura pandere ac vaticinari, si aliorum conscientias posset inspicere, tu tamen scribe, quia hoc non est lætitia perfecta, non est. Cùmque iter suum perseverarent, Franciscus denudò vociferari: O mi Frater Leo, et si quis è nobis Angelorum linguâ loqui, numerum ac motum stellarum, virtutes omnigenas herbarum, thesauros abditos terrarum noverit, et si avium & piscium, ac ceterorum animalium omnium naturam ac indolem exploratam habeat, et si plantarum & arborum, aquarum & fontium, imò & hominum univerforum admiranda integrè sciat, tu tamen scribe bene, & nota diligenter, quia hæc non est lætitia perfecta, non est, mi frater, non est.

Conticuit aliquantulum per aliquot viâ spacia: mox in eadem pæne voces prorumpens: O Frater Leo, inquit, quamvis è nostrâ familiâ, sciat quis eâ verborum vi concionari, ut omnes ubique barbaros ad Christianam facta possit pertrahere, tu tamen scribe, quia non est hic festa lætitia. Novum hoc exhortationis genus diobis pæne milliatibus duravit. At Leo Francisci socius, singularia hæc dicta vehementer demitatus: Mi Pater, inquit,

inquit, rogo te per divinum amorem, si nulla quam dixisti letandi causa est, explica, quæso, quæ demum vera sit lætitia. Cui Franciscus distinctè: Si, ait, ad S. Mariam de Angelis venerimus permadidi, membris omnibus tremantes, & prope congelati, luto etiam conspurcati, exhausti fame, si, inquam, in viâ sic malè habiti ad ostiū pullemus, & admitti rogemus, Janitor vero vultu tetrico verbisque asperis nos invadat, dicatque: Qui estis vos? Circulatores, homines vagi, erronei fugitivi, stipem egenis dandam compilatis. Et demum inter verba rigidissima fores obseret, nōsque in nivibus fame & frigore propemodum eneotos perire cogat. Hoc omne, hanc repulsam, has injurias, si nos, mi Frater Leo, toleranter & æquo animo, & sine obmurmuratione feramus, idque Dei causâ, & omnia plenissimè divinis nutribus transcribamus, & illud apud animum nostrum ferèd cogitemus: En iste janitor nostris nos titulis affectu, ille nos, ut digni sumus, salutavit, Deus linguam ipsius in nos jure concitavit, Deo gratias, qui nos, prout meremur, excipi permittit. Hæc est, mi Frater Leo, hæc est perfecta lætitia, hæc est, tu scribe, quia hæc ipsa est, de qua interrogasti, lætitia perfecta. Quod si ad eandem, quam dixi, Cœnobii portam pulsando persistamus, & janitor denique furibundus provolet, nec probis tantum, sed & colaphis nos exsaturer, illud insuper loco bonæ gratiæ corollarium adjiciat: Abite hinc nebulones pessimi, nec micam, nec guttam sperate. Ad Xenodochium, aut quod vultis, ire, hic non dormietis. Quod si nos ista patienter proflus, & Christi amore hilariter sustineamus, ô Frater Leo, scribe, scribe solenter, hanc esse veram solidamque lætitiā. Si autem nos fames ita urgeat, ut neque illinc recedere, nec aliò in tenebris ire possimus, & idcirco iterum iterumque pulsemus ac clamemus, & admitti summis precibus lacrymisque rogemus, nec tamen impetremus, sed janitor in fermento totus procurret, ac nodoso fuste contundat, & in nives ac lutum ejectos in terram dejiciat. Si nos, quidquid hoc injuriarum est, & verba & verbera, frigus & famem, ab omnibus deserit, exclusissimi undique, mansueti tamen & cum gaudio perpetui, idque in lucro maximo reponamus, pro Domino Je s v hæc & plura perpeti cupiamus, hæc vera, hæc verissima est lætitia.

O Frater Leo, inter omnia divini spiritus charismata, quæ Christus amicis suis largiri solet, primum illud est, vincere seipsum, & paratissimo animo proba, contumelias, verbera & injurias quæcumque devotas, propter Christum posse silere, posse dissimulare, posse pati, hoc principium, hoc causa est solidissimi gaudii. Nam de iis, quæ paulò antè commemoravi, admirandis scientiis ac facultatibus gloriari non possumus: nec enim ea nostra sunt, sed Dei, & quæ non fecimus ipsi. *Quid enim habes, quod non acceperis? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* At affligi & variis calamitatibus exerceri, nec tamen bilem effundere, aut impatientiam rumpere, hoc nostrum est, hoc in gloriâ & triumphis suis numerant Christiani. Ad istud nos beatissimus Paulus his verbis provocat: *Mihi autem absque gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi: summa summarum, mi Frater Leo, hæc est nostra gloria, hoc gaudium nostrum, pro Christo quamplurima pati.*

En illustrissimum à Francisco datum paradigma lætitiæ, quæ tum demum vera est, cum ex Deo, & in Deo est. Et quia de hoc, quod spiritus gaudium vocamus, alii scriptores patius, nos paulò liberalius de eo disceremus.

§. V.

P Rincipiò fons veri gaudii uberrimus est, cogitare cælum: cogitare tantum: imò illud spe certissimâ jam præcipere. Et quem felicitas alterius vitæ non læti-

A fiet? sit vita hæc licet misera, imò miserrima, tantò illa felicior erit, quantò inferior ista. Ad cælum nos invitant & evocant tot rerum species, quas oculis usurpamus, quæque non necessitati solum, nostræ, sed & oblectationi servantur. Tanta varietas plantarum, radicum, herbarum, & arborum: tot florum discrimina, tanta odorum, & colorum & saporum atque sonorum contrariis orta concordia: tot animalia cælo, terris ac pelago, non nisi nostris usibus dedita, & ad unius hominis obsequium creata. Nisi enim peccati jugum sponte subiissemus, omnium, quæ sub cælo sunt, dominium haberemus. Adde sublimia collium, aprica vallium, umbrosa silvarum. Adde tot salubres scatebras aquarum, tot fumantes ac sulfureos, tot gelidos ac pellucidos fontes, tot infusa & circumfusa terris maria, tot annes ac rivos assidue mobiles, tot flumina navigiorum patientia, tot lacus maris æmulos, tot stagna jacentia, tot inter convexa montium præcipites torrentes. Adde tot floridas ripas, tot riparum toros, tot campos & prata omni florum genere, velut tapetes variegata. Quid agros segetibus flaventes, quid gemmantia vineta, quid urbium commoda, quid ruris oria, quid solitudinis libertas amœnissima? Adde prospectus longè jucundissimos in subiectam planitiem eâ varietate distinctam, ut hic quidem saltus sint & silvæ, ibi pascua, hic aquæ, illic hortus, istic omnis generis fruges ac frumentum, hic eminentia in rupibus castra, hic immo piscinæ & vivaria. Hæc omnia voce unâ clamant: Suspice conditorem omnium, & lauda. Ita hæc omnia tranquillæ conscientiæ gaudiis mirè deservunt.

Quid spectaculorum omnium lucidissimum & augustissimum, stellantis cæli ambitum incredibili celeritate volubilem intueri? Inque illo fixas & vagantes stellas, solem imprimis ac lunam clarissima orbis lumina, lucidissimum cæli decus, purissimos mundi oculos? Hinc nos annum & menses, hinc diei noctisque vices, hinc temporum momenta & periodos metimur. Atque hinc etiam terræ fruges, hinc vigor animantium, hinc varietas tempestatum ad nos submititur. Mira hæc omnia & plena gaudii cū considerantur. * Accedit l. 2. de Fort. vultus hominis ad sidera erectus contemplandis cælestibus aptus. En fontes gaudiorum.

Sed fons omnis gaudii uberrimus, est immortalitas animi, & apertum iter ad cælum, & inestimabilis merces exiguo pretio comparanda: spes certa resurgendi, & hoc ipsum corpus post mortem immortale, agile, lucidum, & inviolabile multâ cum gloriâ recipiendi. Transferimur, non exstinguimur. Et quod omnem Angelorum dignitatem eminet, humana natura divinæ sic conjuncta, ut Deus homo factus, hominem faceret Deum. Altum undique occultumque mysterium, summa hominis cū felicitas tum gloria. Quid aliud non dicam sperare, sed optare, sed cogitare potuit homo, quàm ut fieret Deus? Ecce jam Deus est. Quid jam restat, quò vota nostra suspirent, quò nostra gaudia pertingant?

Accedit, quòd idem ipse Deus, qui nos suâ hæc dignatione tam mirificâ vel Angelis prætulit, ipsos nobis Angelos adhibeat custodes ac famulos, ut modis omnibus nostram inter res creatas excellentiam demonstret. Quis inter hæc tristitia locus aut querelæ? Animalia quædam robustiora sunt homine, quædam velociora, quædam sensibus vegetiora, nullum dignitate præstantius, nullum cujus par cura creatori fuerit. Dedit ei oculos, dedit frontem, in quibus animi secreta relucere; dedit rationem, dedit orationem, dedit lacrymas, dedit risum, affectuum signa latentium. Fletus quidem homini præcox, risus serus est; nam ortus statim flet, ante diem quædragmesimum non ridet: hoc tamen vel maximè prudens animal arguit, venturique præscium, ut quòd studiis ac laboribus se natum sentiat. Denique quodcumque robur est aliis animantibus, quæcumque velocitas, quæcumque

Species omnium rerum ad cælum nos invitant.

* Prætereaque cū species animalia cetera terrarum;

Os hominis sublime dedit, cælum intueri, & erectos ad sidera tollere vultus. Ovid. lib. 1. Metamor. Petrarca l. 2. de Fort. dial. 93.

Deus hominibus Angelos adhibuit custodes, ut nostram inter res creatas excellentiam demonstraret.

que opportunitas, tota deferret homini. Ille indomitos boves ad iugum, & feroces equos ad frenum cogit: urfos unguibus, apros dentibus, cervos cornibus metuentes, decus facit ille mensarum. Lince, vulpes, & infinita id genus animalia, quia esui non sunt, usui pellis ac corii reservantur. Omnia hominis sunt, qui rebus maria, canibus nemo, & volucris cælum omne scrutatur. Quid contra conditorem queris, o homo? Non est tibi bovis robur, at tibi bos arat: non est tibi equi celeritas, tibi tamen equus ambulat: non est tibi herodii volatus, sed herodius tibi volat: non est tibi elephantis aut cameli moles, sed ille tibi turrim vehit, hic sarcinam. Hæc quidem homo non habet, sed hæc habentibus imperat veluti rex in animalia constitutus. *Ministi eum, o Deus, paulo minus ab Angelis.*

Psalm. 8. c. 6.

S. VI.

HI fontes gaudiorum sunt, & eorum quidem, quæ non turbantur, non eripi possunt. Gaudia non spiritus sed carnis, vana, breviter, sedata, trepida sunt: non enim solidis causis innituntur, sed eadem, quæ oriuntur vanitate, turbantur. Plurimum interest, unde quis gaudeat. Gaudium malorum stulticia; omnis extra Deum voluptas variis terroribus plena est, subitque cum maximè exultantes sollicita semper cogitatio: *Et hæc quam diu? Bonæ mentis initium ac fundamentum est, non gaudere vana.* Romanus Sapiens illustri ac Christiano profus hortatu: Hoc inquit, ante omnia fac, mi Lucili: discere gaudere. Nolo tibi unquam deesse lætitiā. Volo illam tibi domi nascitur, si modò intra teipsum sit. Ceteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt: nisi forte tu illum iudicas gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus. Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perisuriam voluptatem: & quodcumque investitium gaudium est, fundamento caret. Vis tunc, vis diu gaudere? Gaude de tuo, de teipso, de tui optimâ parte. Corpusculum, etiam si nihil sine illo fieri potest, magis necessariam rem crede quam magnam. Vanas suggerit voluptates, breves, penitendas, & in lutum ac luctum abituras. Voluptas omnis in præcipiti stat, ad dolorem vergit: non est solida, non est fidelis, etiam si non noceat, fugit. Aliquod potius bonum mansurum circumspectamus. Ad verum bonum spectemus: veri boni aviditas tuta est: hoc autem bonum non nascitur nisi ex bonâ conscientia, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido ac continuo vitæ tenore; omne aliud gaudium, in horam, & in diem afficit, post evanescit. Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum, & etiam si quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. Omnes quidem tendimus ad gaudium, sed unde stabile magnūque consequamur, ignoramus. Ille gaudium haurit ex conviviis & luxuriâ, ille ex ambitione & circumfusâ salutarum turbâ: hic ex venationibus & equorum ac canum copiâ, iste honestiū magisque ingenuè ex picturâ & suavi musicâ, alius ex studiorum vanâ ostentatione & litteris nemini fructuosus, alius ex colloquiis & confabulationibus in multam noctem protrahit; aliqui ex insigni corporis ornatu, & vestis pretiosâ magnâ varietate; nonnulli somno & inerti otio suavisimè pascuntur. Multi lusu aut spectaculis plurimum exultant. Omnes istos oblectamenta aut fallacia, aut certè breviter decipiunt: sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam, longi temporis tædio pensat. Vana gaudia plerumque principium sunt doloris, nec ulla major miseria, quam lætitia falsa. Magna res est æqualitas veri gaudii. Hoc gaudium non nascitur nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. Bona conscientia nunquam sine gaudio est. Talis est bonæ con-

Voluptas extra Deum variis terroribus est plena.

Sola virtus præstat gaudium securum.

Quia nullus potest gaudere nisi iustus, fortis, & temperans.

A scientiæ homo, qualis est mundi status super hominem, semper illic ferum est. Atque hoc gaudium, quod vitam probam sequitur, non interumpitur, non delinquit. Sit animus purus ac emendatus, æmulator Dei, super humana se extollens, & nunquam illi deerit, de quo loquimur, *Gaudium spiritus*. Sed jam huius actiones agnoscimus.

ACTIONES GAUDII SPIRITALIS.

1. Gaudia vana & inania non tantum non querere, sed etiam studiosè declinare; gaudia turpia & lasciva penitus & ferè detestari. Ita fiet, ut quod quis remotius à vanis, hoc vicinior sit veris gaudiis.

2. Quodcumque oblectabile quid ac jucundum semel offert, soletter querere:

Et quamdiu istud? Et quamdiu illud? nempe ad horam, aut diem duratis, dum decipitis: post in lutum aut funium abitis. Abite jam quamprimum vana, falsa gaudia, quæ foris mulcetis, intus uritis, abite. Si gaudere velim, stabile queram gaudium.

3. Confabulationes, lusus, comperationes, saltationes, otiosas peregrinationes, assiduas venationes, omnesque ejulcemodi relaxationes animi, aut abdicare ut malas, aut refrenare ut nimias, aut cum aliis permutare ut noxias. Nemo securus, nemo suavius gaudet, quam qui Deum gaudiorum omnium fontem animo semper circumfert.

4. Subinde nocte serenâ, cum omnia conticeant, qua ad stelligerum cælum oculos attollere, & hæc talia secum cogitare: Pande animum & gaude, hæc domus tibi ædificata est. Hæc mansiones multæ sunt, & quod omne gaudium vincit, æternæ. Dura, & patere; momento hi es: quod nunc in miseriis patientior, tantò brevi in deliciis beator eris. Dura, & patere.

5. Subinde mediis gaudiis, cum vel convivia, vel choreæ, vel oblectationes aliæ maximè fervent, illud Hebræi Sapientis animo versa: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et post hæc quid erit? quis inde ad me revertetur redibit? qui scilicet solet, erumena macilentior, valitudo afflictior, conscientia turbior. Cur igitur gaudia non mutem, & dicam: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum?*

6. Paci ac tranquillitati conscientie modis omnibus studere. *Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætitiā.* Bona conscientia valde multa potest portare, & valde lata est inter adversa. Iustorum lætitia de Deo, & in Deo est, & gaudium eorum de veritate.

7. Diem æternitatis sapiens, imò quotidie, & tunc maximè cogitare, cum moeror instat. Qui quantus, quantus sit, nihil est ad illum æternitatis diem, quo Deus omnes sui causâ lugentes consolabitur, & omnes lacrymas absterget; quo dabit oleum gaudii pro lacte, & pallium laudis pro spiritu mororis. Gaudens gaudet in Domino, & exultabit anima tua in Deo tuo, quia induet te vestimentis salutis, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

CAPUT VII.

Rosa Smaragdina, seu, Peregrinationis devotio.

S. I.

Devotionis nomen subinde abusus est. Verissima devotio est prompta & sedula voluntas Deum deo quovis modo colendi. Cum enim animus se Deo suavisimâ familiaritate conjungit, eam induit sollicitudinem, ut ad omnia, quæ divini honoris sunt, promptus fiat. Singularis hæc Virgo, priusquam nata, jam Deo divinæque voluntati devotissima fuit. Hinc etiam